Fragmentarium

labam desertum. Preteritis autem aliis quat-
tuor diebus rursum fatigatus defeci. Cum
que extendissem manus meas in celum:
ecce vir ille qui pridem me confortave-
rat cum digito suo quasi liniens labia
mea confortavit me. Pacti sunt autem decem
dies et octo. Et post hec invenio tu-
gurium et laborem in palme et virum
stantem cuius capilli capitis erant pro
indumento ipsius qui canitie candidi
erant per totum. Erat autem et terribilis as-
pectu. Cumque vidisset me stetit ad
orationem. Et expleto amen, cognovit
me esse hominem. Tenensque me in ma-
nu interrogabat me dicens. Quomodo
huc advenisti. Et si constant adhuc
omnia que in mundo sunt. Si adhuc
etiam sunt persecutiones? Ego autem
dixi ei. Quia vestra gratia qui ministrate
domino Christo servitis. Hanc perambulo
heremum persecutio vero cessavit per po-
tentiam Christi. Edissere michi nunc obsecro
te. Et tu quomodo huc advenisti. At
ille cum lamentatione plorans cepit
dicere michi. Ego episcopus eram et persecutione
facta multis michi illatis suppliciis cum
iam ferre non possem tormenta postea
sacrificavi. In me ipsum autem deinde re-
versus agnovi iniquitatem meam et
dedi meipsum in hanc heremum ad
moriendum et sum degens hic an-
nis .xl. novem in confessione et ob-
secratione ad dominum si forte dimittatur
michi peccatum meum. Et victum quidem
michi dominus prestitit ex hac palma conso-
lationis vero indulgentiam non accepi
usque .xl. octo annos. In hoc autem anno
consolatus sum. Hec autem dicens re-

pente surrexit. Et currens exiit foras. Et
stetit ad orationem diu. Cum autem comples-
set orans venit ad me. Intuens autem
ego faciem eius exterritus trepidavi. Facies
enim erat tamquam ignis. Dixitque michi
Noli timere. Dominus enim te misit ut fu-
nera tradas corpus meum atque sepul-
ture. Dum autem consummasset hec dicens
statim extendens manus pedesque fi-
nem vite complevit. Discissa ergo tu-
nica mea: ego dimidiam michi tenui
et dimidia sancto corpusculo involuto ab-
scondi in terra. Recondito ergo illo. continuo
palma illa aruit et tugurium illud
cecidit. Ego autem multum flevi obse-
crans deum. Si quomodo michi prestaret
palmam illam ut perseverarem in loco
illo residuum tempus meum. Ut autem non
est hoc factum dixi apud me voluntas
non est dei. Orans ergo tendebam iterum ad
seculum. Et ecce homo ille qui liniuit
labia mea veniens apparuit michi atque
confortavit me et ita convalui. Perveniensque
ad fratres et narravi eis hec rogans eos ne
desperarent semetipsos per penitentiam
invenire deum. xiii.

Frater quidam interrogavit senem
dicens. Nomen est quod salvat aut
opus. Respondit ei senex. Opus. Et ait
senex. Scio enim fratrem orantem aliquando
et statim audiebatur oratio eius. Sub-
intravit autem in animo eius cogitatio
velle videre animam peccatoris et iu-
sti quomodo abstrahitur a corpore
et nolens deus contristare eius desiderium
dum sederet in cella sua ingressus est lupus
ad eum et tenens ore suo vestimen-
ta ipsius fratris trahebat eum foras. Sur-

gens autem frater sequebatur eum. Lupus
autem duxit eum ad aliquam civitatem et
dimittens fratrem illum recessit. Cum vero
sederet foras civitatem in monasterio in
quo erat quidam habitans qui habe-
bat nomen quasi magni solitarii ipse vero
solitarius infirmus erat expectans ho-
ram mortis sue. Frater ille qui ibidem ve-
nerat videbat multam preparationem
fieri cereorum et lampadarum propter solita-
rium illum tamquam per ipsum deus panem et
aquam inhabitantibus civitatem illam pre-
staret atque salvaret eos et dicebant.
Si hic finierit omnes moriamur. Facta
autem hora exitus eius. Vidit frater ille tar-
tareum inferni descendentem super soli-
tarium illum habentem tridentem
igneum et audivit vocem dicentem. Sicut
anima ista non me fecit quiescere neque
una hora in se sic neque tu miserearis
eius evellens eam. Deponens igitur
tartareus ille quem tenebat igneum
tridentem in cor solitarii illius per
multas horas torquens eum abstraxit
animam eius. Post hec autem ingressus
frater ille in civitatem invenit hominem
peregrinum iacentem in platea egrotum
non habentem qui ei curam adhiberet
et mansit cum eo die una. Et cum venis-
set hora dormitionis eius conspicit frater
ille michaelem et gabrielem descenden-
tes propter animam eius et sedens unus
a dextris alius quoque a sinistris eius roga-
bant animam eius ut egrederetur
et non exibat quasi nolens relinquere cor-
pus suum. Dixit autem gabriel ad mi-
chaelem. Assume iam animam istam ut
eamus. Cui michael respondit. Iussi su-

mus a domino ut sine dolore eiciatur. Ideo
non possumus cum vi avellere eam.
Exclamavit ergo michael cum voce
magna dicens. Domine quid vis de anima
hac: quia non acquiescit nobis ut egredi-
atur? Venit autem ei vox. Ego mitto
david cum cythara et omnes psallen-
tes ierusalem ut audiens psalmum ad
vocem ipsorum egrediatur. Cumque de-
scendissent omnes in circuitu anime illius
cantantes ympnos sic exiens anima
illa sedit in manibus michaelis et assump-
ta est cum gaudio. xiiii.

Dixit iterum quidem qui supra
de quodam sene quia venit aliquando
in civitatem ut venundaret vasa
que operatus fuerat et cum expliciu-
isset ea contigit eum sedere ante ia-
nuam cuiusdam divitis qui iam
moriebatur. Sedens ergo senex ille vidit
equos nigros et ascensores eorum nigros
et terribiles habentes singuli baculum
igneum in manu sua. Cum ergo iam per-
venissent ad ianuam illam statuerunt
equos suos foras et intravit unus quisque
cum festinatione. Infirmus autem
videns eos clamavit voce magna di-
cens. Domine adiuva me. At illi dixerunt
ei. Nunc memor factus es dei quando sol ob-
scuratus est? Quare usque in hodiernum
diem non exquisisti eum dum adhuc
splendor erat diei. Nunc autem in hac
hora non est tibi portio spei neque consolatio.

Dixerunt patres xv. Cmis
quendam macharium fuisse
qui scythium primus monasterium fe-
cit. Est enim locus ipse heremi longe
a nitria. habens intervallum itineris die-

STAD AUDENAERDE
Oud Archief
PAMELE, BARONIJ
66

License: public_domain – Oudenaarde, Stadsarchief Oudenaarde, Oud archief stad Oudenaarde, nr. 889/66, upper pastedown – <i>Patrum vitae</i> (https://fragmentarium.ms/view/page/F-xp4c/8997/67432)